

tare in domo Domini, ac perpetuo illum laudare desideramus, oportet nimirum et in hoc sæculo, quod in futuro quærimus, sollicitè præmonstramus, frequentando videlicet Ecclesiæ limina, et non solum in eâ laudes Domini canendo, sed et omni loco dominationis ejus, ea quæ ad laudem, gloriamque Conditoris nostri proficiant, verbis pariter ac factis ostendendo.

Te Deum laudamus, &c.

FERIA SEXTA

In I. Nocturno.

De libro Apocalypsis beati Joannis Apostoli

Lectio I. Cap. 19.

POST hæc audiui quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium: Alleluia. Salus, et gloria, et virtus Deo nostro est: quia vera et iusta judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna, quæ corripuit terram in prostitutione suâ, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus. Et iterum dixerunt: Alleluia. Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum. Et ceciderunt seniores vigintiquatuor, et quatuor animalia, et adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amen: Alleluia. Et vox de throno exivit, dicens: laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus: et qui timetis eum pusilli et magni.

Lectio II.

ET audiui quasi vocem turbæ magnæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluia: quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, et exulemus, et demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus preparavit se. Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido: Byssi-

num enim justificationes sunt sanctorum. Et dixit mihi: scribe: beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Et dixit mihi: Hæc verba Dei vera sunt. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris: con-servus tuus sum, et fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu. Deum adora. Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ.

Lectio III.

ET vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et verax, et cum iustitiâ judicat et pugnat. Oculi autem ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersâ sanguine: et vocatur nomen ejus, Verbum Dei. Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo. Et de ore ejus procedit gladius ex utrâque parte acutus: ut in ipso percutiat Gentes. Et ipse reget eas in virgâ ferreâ: et ipse calcatur torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Et habet in vestimento, et in timore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

De Homit. 2. super Missus est.

VIRUM autem dixerim fuisse Jesum, non solum jam cum diceretur vir Propheta, potens in opere et sermone, sed etiam cum tenera adhuc infantis membra, Dei Mater blando vel foveret in gremio, vel gestaret in utero. Virigidus erat Jesus, necdum etiam natus, sed sapientiâ, non ætate; maturitate sensuum, non corpulentia mem-